

H R A B A N I
M A V R I,
A B B A T I S P r i m u m F U L D E N S I S ;
ORDINIS S. BENEDICTI;
postea
A R C H I E P I S C O P I M O G V N T I N I
O P E R V M
Quotquot reperiri potuerunt;

T O M V S S E C V N D V S

Nunc p r i m u m i n l u c e m e d i t u s .

C o n t i n e n s C o m m e n t a r i a i n P e n t a t e u c h u m , s i u e Q u i n q u e
L i b r o s M o y s i s .

P E R M I S S V S V P E R I O R V M .



C O L O N I A E A G R I P P I N A E ,
S umptibus Antonij Hierati , sub signo Gryphi.

A N N O M D C X X V I

C A P V T IX.

*De plantatione vinea per Noe: & nudatione eius,
& irruzione Cham.*

Ccepit Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam: bibensq; vinum inebriatus est: & nudatus, iacuit in tabernaculo suo. Quod cum vidisset Cham pater Chanaan, verenda scilicet patrum sui esse nudata, nuntiauit duobus fratribus foras, & reliqua. Queritur, quare peccans Cham in patris offensa, non in seipso, sed in filio suo Chanaan maledicitur, nisi quia prophetatum est quodammodo, terram Chanaan eiecit Chanaanis inde & debellatis, accepturos fuisse filios Israhel, qui venirent de semine Sem: Iam vero illud quod post diluvium de vinea quam plantauit, inebriatus Noe, & nudatus in domo sua, cui non appareat Christi esse figuram, qui inebriatus est dum paclus est: nudatus est dum crucifixus est: in domo sua, id est, in gente sua, & in domesticis sui sanguinis, vtiq; Iudeis? Tunc enim nudata est mortalitas carnis eius. Quam nuditatem, id est, passionem Christi, videns Cham derisit: & Iudei Christi mortem videntes, subsannauerunt. Sem vero & Iaphet, tanquam duo populi ex circumcitione & preputio credentes, cognita nuditate patris, qua significatur passio saluatoris, sumentes vestimentum, posuerunt super dorsa sua: & intrantes auersi, operuerunt nuditatem patris: nec viderunt quod verenda patris texerunt. Quodammodo enim modo patiencie Christi velamento tegimus, id est, sacramento honoramus: eiusq; mysterii rationem reddentes, Iudeorum detractionem operimur. Vestimentum enim significat sacramentum: dorsa memoriam præteriorum: qui passionem Christi transactam celebrat ecclesia, non adhuc prospectat futuram. Moraliter autem auersari dicimus quod reprobamus. Quid est ergo quod filii verenda patris superiecto dorsis pallio, auerti venientes oportiunt, nisi quod bonis subditis sic præpositorum suorum mala displicant, vt tamen haec ab aliis occultent: Operimentum auersi deferunt: quia diuidicantes factum & venerantes magisterium, nolunt videri quod regunt. Medius autem fratrum Cham, id est, impius populus Iudeorum, ideo medius, quia nec primatum apostolorum tenuit, nec ultimus in gentibus credidit, vident nuditatem patris, quia confundit in necem Domini saluatoris. Post hac nuntiatus foras fratribus. Per eum quippe manifestum est, quod erat in prophetia secretum: ideoq; fit ferens fratum suorum. Quid est enim aliud hodie gens ipsa, nisi quædam scriptraria Christianorum, baulans legem & prophetas, ad testimonium assertionis ecclesiae, vt nos honoremus per sacramentum, quod nuntiant illi per literam? Post haec benedicuntur duo illi, qui nuditatem patris honrauerunt. Benedic tu, inquit, Dominus Deus Sem: sit Chanaan seruus illius. Dilatet Deus Iaphet, & habites in tabernaculo Sem. Hic Sem maior natu, ipse est ex quo patres & prophetæ & apostoli generati sunt. Iaphet autem gentium est pater: qui etiam latitudo interpretatur. Cum ingenti enim multitudine dilatatus est populus ex gentibus: qui cum prophetis & apostolis erat habitaturus: siquidem & videntis iuxta Noe patris propheticam benedictionem, in tabernaculo Sem transisse habitationem Iaphet: hoc est, in domo legis & prophetarum, ecclesiam potius iustificari: minorem quidem temporum ævo, sed gratia lege maiorem. Cham porro qui interpretatur callidus, medius filius tanquam ab utroq; discretus, nec in primis Israhitarum, nec in plenitudine gentium permanens, significat non solum Iudeorum, sed hereticorum genus callidum: non spiritu sapientiae, sed impatiencia: quo solent hereticorum feruere primordia, & pacem perturbare sanctorum. Sed & omnes qui Christiano vocabulo gloriantur & perdite viuunt, ipsius figuram gestare videantur. Passionem quippe Christi quæ illius hominis nuditate significata est, & annuntiant bene profiendo, & male agendo exhortant. De talibus ergo dictum est: *Ex fratribus eorum cognoscetis eos.* ideo & Cham in filio suo maledictus est, tanquam in fructu suo, id est, in opere suo. Vnde

conuenienter & ipse filius eius Chanaan interpretatur motus eorum. Quod quid est aliud, quam opus eorum? Item quod Cham peccante posteritas eius damnatur, significat quod reprobis hic delinquunt, sed in posterum, id est, in futurum sententiam damnationis excipiunt. Sed & plebs Iudea quæ Dominum crucifixit, etiam in filiis paenam damnationis sue transmisit: Dixerunt enim: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Et facti sunt omnes dies Noe non geniti quinque a genera. Ecce post diluvium trecentis quinquaginta annis vixit Noe. Ex quo perspicuum est, centum viginti annos generationi illi ut diximus supra, ad penitentiam datos: & non vita mortalium constitutos.

Matt. 27.

C A P V T X.

Generations filiorum Noe.

Benedictis igitur duobus filiis Noe, atque uno eorum medio maledicto, deinceps eorum generationes texuntur, ex quibus septuaginta duæ sunt gentes ortæ, id est, quindecim de Iaphet: XXX. de Cham: viginti septem de Sem. Filii Iapheth, Gomer & Magog, & Madai, & Iauan & Tuba, & Mo, & ob. Iapheth filio Noe nati sunt septem filii, qui possederunt terram in Asia, ab Amano & Tauri Syriae caelestis, & Ciliciæ montibus, vsq; ad flum Tanaim: in Euphrata vero, vsq; ad Gadara, nomina locis & gentibus relinquentes. Equibus postea immutata sunt plurima: cætera permanent ut fuerunt. Sunt autem Gomer, id est, Galatæ: Magog, id est, Scythæ: Madai, id est, Medi: Iauan, id est, Iones, qui & Græci, vnde mare Ionium. Tubal, id est, Iberi, qui & Hispani: à quibus Celtiberia: licet quidam Italos suscipiuntur. Mosoch, id est, Cappadoces: vnde & vrbs apud eos vsq; hodie Mazeca dicitur. Porro septuaginta interpres Caphthorim Cappadocas arbitrantur: Thiras, Thracæ: quorum non sat is immutatum vocabulum est. Scio quandam Gog & Magog tam de præsenti loco, quam de Ezechiel, ad Gothorum nuper in terra nostra bacchantium historiam retulisse: quod utrum verum sit, prælij ipsius sine monstrabitur. Et certe Gothos omnes retro eruditæ, magis Getas quam Gog & Magog appellare consueverunt. Hæ itaq; septem gentes quas de Iaphet venire stirpe memoratus sum, ad aquilonis partem habitant. Iuli Gomer aschanaz & Riphach & Thogorma. Aschanaz Græci Reginos vocant: Riphach Paphlagonas: Thogorma Phrygas. Filii autem Iauan, Elisa & Tharsis, & Cubism & Dodanum. ab his divisa sunt insula nationum in terra sua: vñ secundum linguam suam, & cognitionem suam, & gentem suam. De Ionibus, id est, Græcis, nascuntur Elisæi, qui vocantur Æolides. Vnde & quinta lingua Græcia, Æolis appellatur, quam illi ιωνιον διαλεκτον vocant. Tharsis Iosephus Cilicas arbitratur: & aspirationis literam, virtiose à posteris in dicens fuisse corruptam. Vnde & metropolis eorum ciuitas, Tarsus appellatur. Paulus Ap. gloriofa. Cetim sunt Citij: à quib; hodie quoq; vrbs Cypri, Citium nominatur. Dodanum, Rhodij: ita enim septuaginta interpres transtulerunt. Legamus Varonis de antiquitatibus libros, & Sinnij Capitonis, & Græcum Phlegonta, cæterosq; eruditissimos viros: & videbimus omnes pene insulas & totius litora terrasq; mari vicinas, Græcis accolis occupatas: qui ut supra diximus, ab Amano & Tauri montibus, omniam maritimam loca vsq; ad Oceanum posse dñe Britannicum. Filii autem Cham, Chus, & Misram & Phuth & Chanaan. Chus vsq; hodie ab Hebræis Æthiopia puncupatur: Misram Aegyptus: Phuth Libyes: à quo & Mauritania fluui vsq; in præsens Phuth dicitur: omnisq; circa eum regio Phutensis. Multi scriptores tam Græci q; Latini, huius rei testes sunt. Quare autem in una tantum climatis parte, antiquum Libyæ nomen resederit, & reliqua terra vocata sit Africa, non huius loci nec temporis est. Porro Chanaan obtinuit terrâ, quam Iudei deinceps obsecderunt eis Chanaanis. Filii autem Chus, Saba & Euila & Sabuba & Regma & Sabathaca. Saba, à quo Sabæ: de quibus Virgilius, *solutaque est thura virga Sabæis,* & alibi: *centum Savae Thura calent aræ.* Euila Getuli in parte remotioris Africæ etemo coherentes. Sabatha, à quo

Gen. 10.
Geron.

G

H